

est. Hoc etiam gaudium omnibus mundi gaudiis, ceterisque bonis ejus esse anteferendum, D. Bernardus aperte docet, quum ait: *gustata spirituali suavitate, desipit omnis caro. Cujus quanta sit vis, quantaque suavitas, nemo, nisi qui fuerit expertus, cogitatione attingere poterit.* Quisquis igitur hanc divini Spiritus suavitatem & gaudium, quod a caritate & sapientiæ dono proficiscitur, degustaverit, facile omnia mundi gaudia, & cetera, quæ in mundo pretiosa & magnifica habentur, præ hujus margaritæ splendore atque dignitate, contemnet ac pro nihilo ducet. Ut enim clerici tenues ecclesiæ proventus facile relinquunt, quum pinguiore atque uberiores pro illis recipiunt: ita qui hæc cælestia dona percipiunt, protinus terrena omnia, quæ sunt his longe inferiora, præ illorum amore, parvi pendunt. Quamvis autem, quanta sit dulcedinis atque suavitatis hujus vis & magnitudo, nemo, nisi qui eam plenius degustaverit, ut modo diximus, assequi possit; ratio tamen & fides, omnes alias mundi voluptates & gaudia ab hac longe superari, aperte demonstrant.

Primum enim satis liquet, hominem corpore & animo constare: quæ duæ partes tam longo a se intervallo distant, ut altera nobis cum belluis, altera cum angelis communis sit. Quum autem sapientissimus ille mundi conditor sic naturas rerum instituerit, ut ubi major esset dignitas atque præstantia, major esset in operibus suavitas atque jucunditas; consequens est, ut quantum mens nostra corpori præstat, tantum sint ejus delitiæ omnibus corporis delitiis non solum puriores atque diuturniores, sed multo etiam majores. Quam rem Aristoteles quoque aperte docet, qui in altissimarum rerum vel exigua & obscura cognitione maximam suavitatem inesse testatur. Quod si in hac naturali cognitione tantum esse delectationis philosophi crediderunt; quid erit, si huic cogitationi caritatem & sapientiæ donum adjungamus, quæ mentem nostram, arctissimo dilectionis vinculo, Deo, hoc est, summo & infinito bono, jungunt? Quo enim gratia nobilior atque præstantior est quam natura, hoc utique delectationes, quæ ab hac cælesti forma proficiscuntur, omnibus

bus aliis mundi oblectamentis nobiliores atque majores sunt. Quocirca nihil mirum, si qui has delicias plenius degustarunt, omnes alias mundi delicias, tamquam res ludicras & inanes, respuant atque fastidiant.

Adjiciam his aliam quoque rationem: ad cujus intelligentiam sciendum est, sic naturæ conditorem species rerum ordinasse, ut numquam inferior species, quamlibet perfecta esset, superioris perfectionem attingere posset. Videmus enim, sub animalium genere & hominem, & varias animantium species contineri: inter quas elephantem ajunt propius ad rationalem hominis naturam accedere; qui tamen, quantumcumque in hac parte excellat, numquam ad hominis acumen & intelligentiam ullo modo pertingere poterit. Quum ergo gaudium spiritus, & gaudium carnis, plus quam genere inter se differant; aliud enim cæleste, aliud terrestre; aliud a Spiritu sancto, aliud vero a carne proficiscitur: consequens est, ut nullo modo hæc infima carnis gaudia cum altissimis illis divini Spiritus gaudiis ullo

modo comparanda sint.

Adjungam his aliam quoque rationem, quæ spiritualis hujus gaudii suavitatem maxime declarat. Ad hoc autem commodius intelligendum meminisse oportet, quod est a nobis alio in loco (a) dictum, nempe, omnia quæ vitam habent, cibum quoque habere naturæ suæ consentaneum, quo vitam alant. Quum autem omnia quæ vivunt, aut corpora, aut spiritualia sint; corporearum quidem rerum, corporeus cibus; spiritualium vero, spiritualis est. Hinc Raphaël angelus ad Tobiam: (b) *quum essem, inquit, vobiscum, per voluntatem Dei eram. ... Videbar quidem vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Hunc autem cibum esse rerum omnium conditorem Deum, apertissimum est. Hic est enim angelorum panis, hic cibus & potus, quo beatæ illæ mentes in illa æterna patria reficiuntur, pascuntur, oblectantur & inebriantur; cujus haustu & potu felicissima illa & beatissima vita, quam vivunt, sustentatur & alitur. Ut enim a-

(a) Concione 1. de Euchar. b. e. in festo Corp. Christi. De tempore Tom. IV. pag. 653. (b) Tob. 12. 18. 19.

nimantium vita corporeo cibo, ita felicissima illarum mentium vita spirituali atque divino illo cibo sustentatur. Ceterum quum homo, qua parte spiritus & mentis compos est, supernarum mentium naturam referat; consequens est, ut eodem quoque ipse spirituali ac divino cibo alatur. Quo sane aluntur, qui purgatum animæ palatum habent. Hinc D. Augustinus Deum appellat purgatæ mentis sapientiam. Talis enim mens ineffabili suavitate atque sapore reficitur, quum immensam divinæ bonitatis & pulchritudinis speciem contemplatur.

Ceterum quum proprium ciborum omnium sit, non solum vitam alere, sed etiam edentis palatum allicere atque oblectare; & quo cibus pretiosior atque delicatior est, eo dulcius palatum alliciat atque oblectet: quid, quæso, de cælesti illo cibo, hoc est, de illo pane angelorum, judicandum est? Quid, quæso, aliud, nisi ut cujus est infinita & immensa dignitas, sit etiam infinita & immensa suavitas? Cujus vel minima, ut ita dixerim, mica tantæ dulcedinis & suavitatis est, ut omnia mun-

di regna atque imperia, ac postremo omnia, quæ sub cælo condita sunt, illi comparata, mera amaritudo esse videantur. Quid enim illis sapiat, quid dulce sit, cui sapit ipse Deus? Quis enim sapor huic saporis comparari possit? Hinc D. Augustinus: *illud, inquit, est verum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur; cui comparata omnis suavitas, maror est; omnis lætitia, tristitia est; omnis copia, egestas est.* Ideoque nihil mirum, si quicumque hanc pretiosam margaritam invenerunt, omnia sua distrahant; hoc est, omnia terrena bona contemnunt, quo ea plenius frui mereantur. Hinc D. Gregorius: (a) „qui, inquit, cæ-

„lestis vitæ dulcedinem, in
 „quantum possibilitas admit-
 „tit, perfecte cognoverit, ea,
 „quæ in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit.
 „In comparatione ejus vile-
 „scunt omnia, deserit habita-
 „congregata dispergit, inar-
 „descit in cælestibus animus,
 „nihil in terrenis libet: de-
 „forme conspicitur, quidquid
 „de terrenæ rei placebat spe-
 „cie; quia sola pretiosæ hu-
 „jus margaritæ claritas fulget

i n

(a) Gregor. in homil.

„in mente. „ Hactenus Gregorius.

§. II.

Hæc igitur divinæ suavitatis dulcedo, quam a caritate, & sapientiæ dono proficisci diximus, velut instrumentum quoddam est, quo Spiritus ille cælestis hæc admiranda virtutum officia operatur. Quo fit, ut
 * quemadmodum ii, qui in avibus cæli ludunt, exigua illis dulcique esca ostensa, eas & ad sidera pæne mittunt, & ad manus iterum revolare, eorumque vocibus parere faciunt: ita sanctus ille Paraclætus hac suavissima divinæ consolationis esca sic piorum mentes afficit & oblectat, ut nihil illis durum, nihil asperum, nihil difficile appareat, dummodo hoc suavissimo pabulo reficiantur; pro cujus amore omnia mundi gaudia, omniaque terrena bona facile contemnunt. Ut enim qui ab infima fortuna ad regniæ dignitatis solium evecti fuere, quod Davidi regi obtigit, contemnunt illa omnia, quæ in ea fortuna pretiosa & cara ipsis erant; majorum enim comparatione, illa omnia ipsis viluerunt: ita qui ad has cælestes opes frundas beneficio Domini perdu-

cti sunt, facile præ illarum amore omnia, quæ in mundo pretiosa & magnifica putantur, velut stercorea rejiciunt atque contemnunt. Ad hunc etiam modum, qui ad virilem ætatem pervenerunt, rident ludicra illa, quæ pueruli magnificiebant, & pro quibus etiam cum coætaneis digladiabantur: ita qui ad hanc maturam spiritus ætatem pervenerunt, facile contemnunt omnia, quæ olim pueri non annis, sed sensu magnificiebant. Tales enim illud Apostoli dicere possunt: (a) *quum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus: quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

Hoc autem studium non unius aut alterius sancti, sed innumerabilium, ac præcipue anachoretarum exemplo confirmare possumus: quorum multum non solum ingentia patrimonia, & spes majores, majori animo contempserunt; sed etiam solitudinem, & crucis Christi mortificationem, atque asperrimum vitæ genus amplexati sunt, ubi hanc margaritam invenerunt: hoc est, ubi caritatis, & sapientiæ, divinæque dulcedinis suavitatem

de-

(a) 1. Corinth. 13. 11.

degustarunt. Ex quibus unum
dumtaxat Bonosum, qui san-
ctorum anachoretarum institu-
tam & vitam refert, pro illis
omnibus in medium proferam;
de quo sic D. Hieronymus,
qui cum eo bonam ætatis par-
tem egit, in epistola ad Rufi-
num scribit: „Bonosus tuus,
„ immo meus, &, ut verius
„ dicam, noster, scalam præ-
„ sagatam Jacob somniantem
„ jam scandit, portat crucem
„ suam, nec de craftino cogi-
„ tat, nec post tergum respi-
„ cit. Seminatur in lacrimis, ut
„ in gaudio metatur: & sacra-
„ mento Mosi serpentem in e-
„ remo suspendit. Cedant huic
„ veritati tam Græco quam
„ Romano stilo mendacis fi-
„ cta miracula. Ecce puer ho-
„ nestis sæculi nobiscum arti-
„ bus institutus, cui opes af-
„ fatim, dignitas apprime in-
„ ter æquales erat, contem-
„ pta matre, sororibus, & ca-
„ rissimo sibi germano, insu-
„ lam, pelago circumsonante
„ naufragam, cui asperæ cau-
„ tes, & nuda saxa, & solitudo
„ terrori est, quasi quidam
„ novus paradisi colonus inse-
„ dit. Nullus ibi agricolarum,
„ nullus monachorum, ne par-
„ vulus quidem, quem nosti,
„ Onesimus, quo velut fratre

„ fruebatur, in tanta vastitate
„ adhæret lateri comes. Solus
„ ibi, immo jam Christo com-
„ mitante non solus, videt
„ gloriam Dei, quam etiam
„ apostoli, nisi in deserto, non
„ viderant. Non quidem con-
„ spicit turritas urbes, sed in
„ novæ civitatis censu dedit
„ nomen suum. Horrent sacco
„ membra deformi, sed sic
„ melius obviam Christo ra-
„ pietur in nubibus. Nulla Eu-
„ ryporum amœnitate perfrui-
„ tur, sed de latere Domini
„ aquam vitæ bibit. Propona-
„ tur tibi ante oculos, amice
„ dulcissime, & in præsentiam
„ rei totus animo ac mente
„ convertere. Tunc poteris
„ laudare victoriam, quum la-
„ bore præstantis agnoveris.
„ Totam circa insulam fremit
„ insanum mare, & sinuosis
„ montium illis scopulis æ-
„ quor reclamat. Nullo terra
„ gramine viret, nullis ver-
„ nans campus densatur um-
„ braculis. Abruptæ rupes, qua-
„ si quemdam horrore carce-
„ rem claudunt. Ille securus,
„ intrepidus, & totus de apo-
„ stolo armatus, nunc Deum
„ audit, dum divina relegit;
„ nunc cum Deo loquitur,
„ quum Dominum rogat. Ha-
„ ætenus Hieronymus.

Sed

Sed hæc fortasse minus mi-
randa: illa vero majorem men-
tibus admirationem incutiunt,
quod non solum inferioris for-
tunæ homines, sed principes
etiam viri, sed reges ac reginæ,
ubi (a) *gustaverunt bonum Dei*
verbum, virtutesque sæculi ven-
turi, regna ipsa & principatus
promptissimo animo relinquen-
tes, Christi crucem flagrantis-
simo studio amplexati sunt.
Hinc (b) Theodosii junioris,
principum omnium fortunatis-
simi atque sanctissimi, sorores,
Pulcheria, Arcadia, Archema-
rina, quæ principibus ejusdem
imperii viris, atque adeo im-
perii confortibus in matrimo-
nio collocari, & imperii opi-
bus atque magnificentia frui
potuissent, his omnibus spretis
atque contemptis, communi
mente atque consilio, virginita-
tem suam Domino consecra-
runt. Quod nequam fecis-
sent, nisi celestis sponsi amor
atque suavitas majori eas vi ad
se, quam tota hujus mundi glo-
ria, rapuisset.

Sed hæc vetera sunt. Nostro
quoque sæculo non defuerunt
principes viri, qui & amplam
domum, & dignitatem, qua
potiebantur, in ætate jam ma-
tura reliquerunt, eamque Chri-

sti paupertate, & humilis obe-
dientiæ professione commuta-
runt. Inter quos nobilis quidam
adolescens, magnificæ domus
atque dignitatis heres, cujus
patrimonium majores ejus, la-
boribus plus quam Herculeis
terra marique toleratis, pro-
meriti fuerant, summa animi
alacritate propter Christum re-
liquit, & asperrimum mona-
chorum institutum, qui nudis
pedibus in arctissima pauper-
tate & asperitate vitam agunt,
amplexus est. Neque vero hoc
juvenili ardore atque impetu
fecit, sed triennio ante ordinis
ingressum, id mente, cogita-
tione, & vitæ austeritate sic
tractavit, ut parentes, huic pro-
posito, paterno amore repu-
gnantes, constantia sua vicerit,
eorumque consensum ad illud
vitæ genus impetraverit. Quan-
ta ergo eorum hominum de-
mentia est, qui harum rerum
gratia, quas isti tanta alacrita-
te calcarunt, nullos labores,
nulla pericula, nullos bellorum
motus, nulla turbulenti maris
naufragia formidant, quo sibi
posterisque suis amplum patri-
monium parent? Jam vero quo-
ties regnandi libido filios arma-
vit in patres; quodque majus
est, patres armavit in filios,
quo

(a) *Hebræor. 6. 5.* (b) *Apud Nicephor. lib. XIV.*

quo sibi regni sedem usurparent? Quæ tamen omnia isti, inventa illa pretiosa margarita, velut purgamenta quædam & rejectamenta, mira facilitate calcarunt. Quia quidem ex reliquet, quam misere sæculi homines decipiantur, qui, ne voluptatibus suis careant, ab hoc cælestis vitæ proposito se subducunt: quum in eo tamen tot sint divini Spiritus solatia, quæ omnes mundi opes atque delicias longissimo intervallo superant: quemadmodum est a nobis tum firmissimis rationibus, tum etiam clarissimis exemplis comprobatur.

Quod si quis a me requirat, cur tam pauci sint, qui hoc cælestis vitæ institutum amplectantur? Hujus tanti mali causam initio esse diximus, rerum divinarum ignorationem, quæ facit, ut has tantas divinæ gratiæ opes, quas hætenus exposuimus, non agnoscentes, voluptates, quibus in hac vita oblectantur, cælestibus illis commutare nolint. A quo errore absunt, qui eas divini Spiritus beneficio degustarunt. Quia in re simile quiddam evenire videtur, quod filiis Israël in secundi templi dedicatione contigit. (a) Juniores enim, qui

prius illud magnificentissimum Salomonis templum non viderant, opere illo absoluto lætabantur: contra vero senes, qui illud in gloria sua viderant, lacrimas continere non poterant. Ad hunc ergo modum qui nulla nisi hujus mundi gaudia norunt, nihil his esse suavius atque jucundius arbitrantur: at qui divina illa spiritus solatia degustarunt, miserandam horum sortem & cæcitatem lamentantur; qui, quoniam vera illa, solida & divina gaudia nesciunt, sordidis & ludicris mundi gaudiis oblectantur.

Hujus autem ignorantia causa partim quidem socordia nostra, partim sublimitas & altitudo horum donorum cælestium existit, quæ ab humana cognitione longe remota sunt. Hinc de sapientia ipsa in libro Job scriptum est: (b) *abscondita est ab oculis omnium viventium: etiam volucres cali, hoc est, sapientes mundi, latet.* Quam etiam Salvator in sacra hujus diei lectione thesauro abscondito similem esse ait. Verus enim ea thesaurus est, qui veris opibus hominem ditat: sed ab illis tamen neglectus, quoniam absconditus est. De spirituali vero dulcedine & sua-

(a) 3. Esdr. 5. 64. (b) Job 28. 21.

vitæ, quam sapientiæ comitem esse diximus, sic divinus vates ait: (a) *quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Magna quidem ea dulcedo est: quia tamen abscondita est, ab amatoribus voluptatum minime quæritur, quia ignoratur. Idem etiam illa Domini verba ex Apocalypsi innuunt, quibus se vincenti suavissimum manna daturum pollicetur: (b) *quod nemo, inquit, scit, nisi qui accipit.* Non igitur hujus thesauri vilitas, sed socordia & ignorantia nostra in causa est, ut hoc tanto bono homines minime fruatur. Verum de his jam satis.

S. III.

Adjungit deinde Dominus tertiam parabolam, qua regnum calorum sagenæ missæ in mare comparat, quæ bonos & malos pisces intra se recipit: quorum quidem boni in vasis piscatorum reconduntur, mali vero in sterquilinum projiciuntur. Sic erit, ait Dominus, *in consummatione sæculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Ex hac parabola apparet, quanta

salutis nostræ cura Salvator teneatur, qui nullum non movet lapidem, quo nos ad veram salutem & pietatem traducat. In superioribus enim parabolis, thesauri, & pretiosæ margaritæ, quæ duo magnopere ab hominibus desiderantur, nos ad mundi ac terrenarum rerum contemptum inducere voluit, quo his tantis opibus fruere mur. Quia vero multi magis pœnarum metu, quam utilitatis amore, commoventur; adjungit proinus horrendas gehennæ pœnas, & fletum, & stridorem dentium, & caminum ignis, in quo perditii homines perpetuo torquendi sunt: ut videlicet pœnæ terreant, quos præmia non invitant. Nemo enim est, ut D. Augustinus ait, qui non magis laborem fugiat, quam affectet voluptatem: quandoquidem videmus, immanissimas bestias a maximis exterreri voluptatibus, dolorum metu.

Quum sint autem multa ac varia gehennæ tormenta, hoc in loco de camino ignis præcipue fit mentio, qui humanæ naturæ maxime formidabilis est; quamvis hæc pœnarum maxima non sit, major enim est, divinæ pulchritudinis beati-

(a) Psalm. 30. 20. (b) Apocalyp. 2. 17.

tifica visione perpetuo abdica-
ri, acerbissima tamen ignis,
præcipue sempiterni, pœna est.
Cujus consideratione Eusebius
Emiffenus nos ad timorem Do-
mini, & peccati odium adhor-
tatur his verbis: (a) „ illud au-
„ tem quonam modo trepi-
„ dus sermo poterit explicare,
„ quum cœperit inexpiabilis
„ caro, & infectæ peccatis me-
„ dulla sævis gehennæ æstibus
„ penetrari, & depascentibus
„ flammis corpora atque ani-
„ mas ex parte consummi, ex
„ parte nutriri: ut inter me-
„ dios ignium globos damnata
„ natura det pabulum, & ac-
„ cipiatur incrementum? ut o-
„ pus atque figmentum corpo-
„ ris nostri, in antiquis sceleri-
„ bus mortuum, & ad sola tor-
„ menta redivivum, finem in
„ ipso interitus confinio non
„ inveniat. Illa enim non ca-
„ sualis, sed rationalis & pœ-
„ nalis exustio, quia culpam
„ jubetur inquirere, substan-
„ tiam nescit absumere. „ Ha-
ctenus Eusebius. In hunc igitur
caminum ignis improbos, a
felici bonorum cœtu discretos,
esse deturbandos, Salvator ait:
in quo æternum sterum, & stri-
dorem dentium futurum vati-
cinatur.

Hæc ubi dixisset, ad discipu-
los continuo ait: (b) *intellexi-
stis hæc omnia? Dicunt ei, etiam.
Ait illis: ideo omnis scriba do-
ctus in regno calorum similis est
homini patrifamilias, qui pro-
fert de thesauro suo nova & ve-
tera.* Quum nullus apex in lit-
teris sanctis significatione va-
cet; quæri merito potest, quid
hac illationis nota, *ideo*, signi-
ficare Dominus voluerit. Quo-
modo enim similitudo conse-
quens, de scriba docto in re-
gno calorum, cum superiori-
bus, ac præcipue cum ea, quæ
de sarena in mare missa ponit-
ur, cohæret, ut ex altera al-
tera consequatur? Magna cer-
te & gravissima ratione. Si e-
nim tam magna bona piis pro-
posita sunt, quæ cælestis magi-
ster thesauri ac margaritæ no-
mine designavit; contra vero
si tam ingens improbis suppli-
cium constitutum est; si illos
caminus ignis manet, si flam-
mæ ultrices, si mors immorta-
lis, si pœna sempiterna, si fle-
tus & stridor dentium, si sepa-
ratio a cœtu & conventu san-
ctorum, & relegatio ad tarra-
reas damnatorum regiones; si
denique hæc res tanta est, ut
nullus hujus vitæ cruciatus ad-
eo magnus sit, qui cum hoc

ge-

(a) *Euseb. Emiff. homil. 1. ad Monachos.* (b) *Matth. 13. 51. 52.*

gehennæ supplicio collatus,
non levissimus ac pæne ludi-
crus sit; ideo scriba doctus in
regno calorum, cujus munus
& officium est, salutaribus
monitis atque doctrinis homi-
nes ab hoc tanto periculo e-
ripere, & ad regnum calo-
rum dirigere; similis utique
diviti patrifamilias esse debet,
qui, quum penu habeat omni
genere escarum refertum, ubi
sollemne convivium instruit,
dapes & pocula omnis gene-
ris, partim recentia, partim
vetera, in mensa profert. Ad
hunc ergo modum ecclesiæ do-
ctor pectus habere debet omni
sententiarum genere instru-
ctum, quas assiduo divinæ le-
gis studio sibi comparare tene-
tur, paresque rei magnitudini,
quam tractat, spiritus sumens,
omnibus rationum machinis
hoc negotium urgeat, nihilque
intentatum relinquat, nullum
non moveat lapidem, & quid-
quid in thesauris divinarum lit-
terarum reconditum est, ad
hunc usum proferat; modo ve-
teris testamenti terroribus ac
minis homines perterrefaciens,
modo novi testamenti promi-
sis & beneficiis alliciens, atque

omni denique ratione illos a
scelere ad pietatem, ab interi-
tu ad vitam, a gehennæ incen-
diis, & camino ignis, ad cæleste
regnum traducere contendat.

Hæ igitur partes nostræ sunt,
fratres, qui ministerium hoc ver-
bi accepimus a Domino Jesu:
vestræ vero sunt, ut hæc ipsa,
quæ diximus, dies noctesque
cum animo vestro cogitantes,
ante judicium paretis justitiam:
illud unum supra omnia curan-
tes, ut ante tribunal illud for-
midandum, non judicandi, sed
a vobis judicati appareatis.
Quod quidem præstabitis, si
præteritæ vitæ maculas pœni-
tentia lacrimis diluentes, eas
tanto studio atque ardore vita-
re studeatis, ut prius mortem,
& extrema omnia pati, quam
mortiferum aliquod crimen ad-
mittere parati sitis. Sic enim fiet,
ut quum angeli a judice missi,
malos a bonis secernere inci-
pian, illos in caminum ignis
præcipitantes, hos autem ad
cælestes mansiones deducentes,
vos cum felicibus istis ab hoc
formidabili ignis camino libe-
rati, ad cælestis gloriæ felicita-
tem & requiem perducere merea-
mini. FINIS.

Tam bene qui mores sanctorum scribit & acta;

Non hunc sanctorum spiritus intus agit?

G. G. G.

Tom. III.

Aa

F.